



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. I. An & quibus casibus sint sortilegia, vel illicita?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

certum regnum sint restituta, videatur *Extravag. Prodiens Ioan. 22. h. 1. & Respondent uni. inter communes h. 1. De modis autem aliis, quibus in diversis rebus crimen falsi committitur, quamvis*

non semper pœnâ falsariorum tales puniantur, videatur *Molin. Tract. 2. d. 701. vel Farina in praxi criminali q. 150.*

## T I T V L V S XXI.

### DE SORTILEGIIS.

#### §. I.

*An & quibus casibus sint licita sortilegia, vel illicita?*

**S**ortilegia sive sortes dicuntur, cum aliquid eo fine agitur, ut ex ejus eventu considerato aliquid fiat, aut occultum innotescat, & hinc triplices sunt sortes tales. Divinatoriæ, quæ adhibentur, ad futurum, vel occultum cognoscendum, quod naturaliter sciri non potest: Consultoriæ, quibus divina voluntas circa rem aliquam inquiritur: & divisoriæ, per quas queritur, quid cuiusvis tribuendum sit. Divinatoriis sortibus non licet uti, cum in illis multæ lateant superstitiones, & ad talia occulta, vel futura cognoscenda sunt medium inproportionatum, prout patet ex pluribus iuribus, *causa 26. q. 5. & ex cap. in tabulis 1. h. 1. consultoriæ* verò sortes per se quidem, quando gravis urget necessitas, licitæ sunt, regulariter tamen, & ordinatiè adhibendæ non sunt (& hinc sub excommunicatio-

ne prohibentur *in casu. sortes cons. 26. q. 5.* cum ad specialem, & extraordinariâ Dei providentiam non sit necessitas recurrendi, ita ut ad tentationem potius illicitam prohibitam recursus talis revocetur. Divisoriæ denique sortes secundum se quidem etiam licitæ sunt, & in multis casibus à jure civili adhiberi jùbentur, semper tamen cavendum, ne illicitæ quædam, & superstitionis circumstantiæ, cum aliqua sacrarum rerum irreverentia admisceantur, quæ sortes etiam tales illicitas faciunt.

#### §. II.

*An sit licitus usus sortium in electionibus ad prælaturas & alia beneficia Ecclesiastica?*

**R**espondetur negativè, prout constat *ex cap. Ecclesia 3. h. 1. ex quo cap. habetur*, quod generaliter prohibitus sit, sortium usus in electionibus ad officia, vel administrationes Ecclesiasticas, ita ut nec compromissarii ad eligendum, possint sorte constitui, ut ne scilicet

Hhh hh 2

lice